

et David propter aquae desiderium a se ipso reprehensum; et regem nostrum non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque et populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escae desiderio adversus Dominum murmuravit, meruit improbari. In his ergo temptationibus positus certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi et bibendi. Non enim est, quod semel praecidere, et ulterius non adtingere decernam, sicut de concubitu potui. Itaque freni gutturis temperata relaxatione et constrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est; magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Sed et ego magnifico nomen tuum, et interpellat te pro peccatis meis qui vicit saeculum, numerans me inter infirma membra corporis sui; quia et imperfectum ejus viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur.

CAP. XXXII. DE ILLECEBRIS ODORUM FACILIUS SUPERANDIS.

De illecebra odorum non satago nimis. Cum absunt, non requiro, cum adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere. Ita mihi videor: fortasse fallor. Sunt enim et istae plangendae tenebrae, in quibus me latet facultas mea, quae in me est, ut animus meus de viribus suis ipse se interrogans, non facile sibi credendum existimet, quia et quod inest, plerumque occultum est, nisi experientia manifestetur. Et nemo securus esse debet in ista vita, quae tota tentatio nominatur: utrum qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior. Una spes, una fiducia, una firma promissio, misericordia tua.

CAP. XXXIII. AURIUM VOLUPTATES SUPERAVIT, QUAMVIS IN ECCLESIA SAEPIUS CANTU, NON RE CANTATA OBLECTATUS.

Voluptates aurum tenacius me implicaverant et subjugaverant; sed resolvisti, et liberasti me. Nunc in sonis, quos